



## **Consilia Seu Responsa Juris**

**Schmalzgrueber, Franz**

**Augusta Vindelicorum & Ratisbonae, MDCCXL**

Cons. XLIX. Stipendii Pro Missis. Præsens Causa Missarum Manualium, petitarum in tanto numero, ut intra breve tempus dici omnes non possint, affinitatem habet cum Consilio X. & hinc ex iisdem ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72287](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72287)

CONSILIUM XLIX.

In Causa Missarum Manualium, petitarum in tanto numero, ut intra breve tempus dici omnes non possint.

SUMMARIUM.

1. Facti Species.
2. seqq. Non sunt admittenda onera Missarum, quibus satisfieri non potest.
3. Etiam in locis magni concursus non sunt accipiendæ Eleemosynæ novæ pro Missis, nisi prioribus sit satisfactum.
4. Admittitur tamen nova obligatio, si intra modicum tempus satisfieri possit, vel offerentes in dilationem consentiant.
7. 8. Quod tempus sit modicum, & an offerentes consentire præsumantur, relinquitur Judici prudentium.
9. Differentes ultra notabile tempus Missam celebrandam possunt peccare graviter, & nonnunquam obligari ad restitutionem Stipendii.
10. Præferri debent Missæ eorum, qui ob specialem necessitatem eas petunt: sed sine magno præiudicio aliorum.
11. 12. Consensus offerentium purgat moram.
13. Qui Consensus facilius præsumitur in locis celebribus.
14. Monendi sunt offerentes.
15. 16. Per se non licet legere Missas in alia Ecclesia, quam ubi offerentes Stipendia voluerunt legi.
17. 18. Nisi consentiant offerentes.
19. Varia consideranda, antequam Missa destinata pro certo loco, dimittantur in alium.
20. Missis ratione Beneficii legendis potest satisfieri per alium dato etiam minori Stipendio.
21. Secus est in Missis pro Stipendio Manuali legendis.
22. Etiam quando traditur Stipendium majus solito.
23. Quod extenditur etiam ad Ecclesias, & earum Administratores.
24. Obligatio hac tradendi integram Eleemosynam est gravis.
25. Cui non satisfacit, etiamsi tradatur Stipendium alias consuetum.
26. 27. Limitatio hujus doctrina.
28. seqq. Pecunia pro legendis Missis oblata possunt pro novo pio opere impendi cum Consensu Ordinarii, modo legantur tot Missæ pro quot oblatum est pecunia, & tam mature, ac alias fuissent lectæ.
34. Præsertim si promoveatur major Sacerdotum numerus.
35. Si tantus numerus Missarum jam acceptatus sit, cui satisfacere non possit, legenda illa sunt alibi, si consensus offerentium præsumi potest.
36. 37. Si consensus præsumi non possit, peti debet licentia, vel ab Ordinario, ut in loco a quo celebri legantur, vel à summo Pontifice, ut ad quemvis alium locum transferri possint.
38. Secus qui facit, peccat, & tenetur ad resarciendum damnnum, si quod inde secutum esse probari possit.
39. seqq. Hucusque dicta applicantur ad resolvendum præsentem Casum.

FACTI SPECIES.

I.

**H** St in quodam loco Imago B. V. miraculis, & beneficiis, per intercessionem illius impetratis, celebratissima. Ad hanc ultimis istis annis concursus Peregrinantium, & Stipendia pro Missis dicendis offerentium ita excrevit, ut Sacerdotes, qui antehac ibidem debebant, illis expediendis nullatenus pares essent. Hinc, necesse erat plures ejusmodi Sacerdotes acciri, iisque parari domicilium. Sumptus ad hoc construendum magna ex parte accepti sunt ex Stipendiis Missarum restantium, eâ tamen conditione, ut istæ legantur juxta ordinem temporis, quo inscriptæ illæ sunt. Intentio enim Directoris Fabricæ erat, ut suo tempore pecuniæ istæ compensarentur ex Oblationibus, quæ in Gazophylacium cadunt,

& ex his lumerentur Stipendia pro Missis restantibus suo tempore, & ordine celebrandis. Assumpti igitur, & in dicto domicilio collocati sunt Sacerdotes viginti, & præter hos extra illud nonnunquam ex Stipendiis Missarum, quæ dicendæ ipsis sunt traditæ, aliti sunt in dicto loco ferè alii totidem. Sed neque hoc modo satisfieri poterat pro tot Missis, pro quibus Stipendia oblata sunt, adeò, ut modò restent dicendæ ultra 50. Millia. Offerentibus non promittitur, nec spes fit, quòd statim legendæ sint Missæ, pro quibus obtulerunt Stipendia; sed in præsentia illorum istæ inscribuntur Libro, cum Sponsione, quòd dicendæ sint secundum ordinem, & tempus, quo sunt inscriptæ, quâ Sponsione contenti ad sua redeunt. Antequam ad Casum istum respondeam, solvendæ sunt quædam Quæstiones præliminares, ex quibus elucidabitur præsens Casus. Unde

## QUÆRITUR I.

*An liceat acceptare Stipendia pro tot Missis, quas adeo brevi celebrari posse prævīdetur omnimoda impossibilitas?*

2.  
Resolvitur  
Quæstio.

Solutionem ad hanc Quæstionem dedit S. Congregatio Concilii in Decretis 21. Junij 1625. jussu Urbani VIII. editis, ubi prohibentur recipi Eleemosynæ, & Stipendia pro Missis novis celebrandis, nisi oneribus antea impositis ita satisfactum sit, ut nova onera suscipi possint. Quem in finem eadem S. Congregatio injungit Episcopis, aut eorum Vicariis, Generali, aut Provinciali, ut si requisiti fuerint pro licentia ad suscipienda onera perpetua, inquirent diligenter, nec antea consensum præstent, quàm iis legitime confiterit, Sacerdotes & novo oneri suscipiendo, & antiquo suscepto satisfacere posse. Extendi autem hoc vult eadem S. Congregatio in dictis Decretis etiam ad Eleemosynas Manuales, & quotidianas, quas pro Missis celebrandis accipi vetat, nisi adimpletis oneribus antea impositis: & hinc, antequam istis satisfactum fuerit, auferri vult ab Ecclesiis Capulas cum inscriptione Eleemosyna pro Missis.

3.

Idipsum repetit dicta S. Congregatio in Declaratione edita 23. Novemb. 1697. & confirmata ab Innocentio XII. Constit. edita 10. Calend. Januar. dicto anno, ibi, *Caveant omnes, & singuli Ecclesiarum Rectores Saculares, & Regulares, ne onera, seu Missas tum perpetuas, tum temporales, tum etiam Manuales, quarum satisfactioni impares fuerint, quoquo modo suscipiant: utque idipsum, quoad fieri poterit, pateat, teneantur iidem conficere, semperque in loco patenti, & obvio tenere Tabellam onerum perpetuorum, & temporalium, literis perspicuis, & intelligibilibus descriptorum, quorum implemento, si moraliter, & intra breve tempus satisfacere non posse, seu illa duntaxat, & non ulteriora adimplere posse crediderint, seu credere debuerint, alias Missas sive perpetuas, sive temporales, sive Manuales, per se, vel per interpositas personas quoquo modo recipere, seu acceptare omnino desistant, seu abstineant: & ulterius tali casu in eadem Tabella similiter exprimant, sese propterea aliis Missis acceptandis, & celebrandis impares esse.* Ita dicta S. Congr. apud Matthæucc. Offic. Cur. Regul. tom. 1. c. 12. §. 27. & refert etiam Monacell. form. Legal. pract. p. 1. pag. 495.

4.

Addit eadem S. Congregatio in dicta Declaratione, *Præsati Ecclesiarum Rectores teneantur pariter in Sacrario duos Libros retinere, ac in eorum altero singula onera perpetua, & temporalia, in altero autem Missas Manuales, & tam illorum, quàm istarum adimplementum, & Eleemosynas distinctè, & diligenter annotare, & annotandas, seu annotan-*

*da curare, singulisque annis de supra dictis adimplementis, Eleemosynis, & Oneribus pariter exactam rationem suis Superioribus reddere, ac omnes, & singulas Rationes hujusmodi in præfatis respectivè Libris simili distinctione, & diligentia tam præfati, à quibus Rationes debent reddi, quàm Superiores, quibus reddenda erunt, describere, seu annotare, sive describendas, vel annotandas respectivè curare, sub pena Suspensionis quoad Saculares, Voce verò activâ, & passivâ, Gradibus, & Officiis privati sint, & intelligantur Regulares.*

Procedunt autem Decreta hæc, & Declarationes etiam quoad Administratores Ecclesiæ magnæ devotionis, & concursus; nam neque isti vi itorum Decretorum, & Declarationum possunt Eleemosynas pro Missis celebrandis accipere, si iisdem Missis non nisi post longum tempus satisfacere valeant, nisi consentiant illi, qui Eleemosynas tribuunt. Nec attendendum est, si opponant, quòd hoc modo cultus Ecclesiæ, & devotio, ac concursus Fidelium diminuendus sit; nam hanc causam pro sufficienti ad Eleemosynas pro Missis, non nisi post longum tempus dicendis, accipiendas in tali loco devoto, & gratioso non agnovit S. Congregatio in allegata Declaratione edita 21. Jun. 1625. in Responsione ad XIV. ibi, *Neque Administratores Ecclesiæ magnæ devotionis, & concursus possunt Eleemosynas pro Missis celebrandis accipere, si iisdem Missis non nisi post longum tempus satisfacere valeant, licet cultus Ecclesiæ, & Devotio, ac Concursus Fidelium, ut ajunt, minuat, nisi consentiant illi, qui Eleemosynas tribuunt.* Addit eadem S. Congregatio ibidem ad XV. prædicto Decreto comprehendi etiam privatos Sacerdotes.

Pro vera tamen intelligentia hujus Decreti notat S. Congregatio in dicta Declaratione ad X. memoratum Decretum non prohibere absolute, ne novas Eleemosynas accipiant ij, qui acceptis nondum satisfecerunt, sed duplicem Exceptionem facit, unam, si infra modicum tempus pro Eleemosynis tam antè acceptis, quàm nunc oblati satisfieri possit; alteram, si offerens Eleemosynam pro aliarum Missarum celebratione sciat, & consentiat in dilationem adimplementi ad longius tempus. Atque hinc 1. Possunt tam privati Sacerdotes, quàm Rectores Ecclesiarum nova etiam onera Missarum celebrandarum suscipere, et si oneribus susceptis nondum satisfecerint, dummodo infra modicum tempus possint omnibus satisfacere, ut sæpe allegata S. Congregatio in dicta Declaratione respondit ad X. Imò 2. Ex eadem Declaratione ad XI. licet onera suscepta infra modicum tempus adimpleri nequeant, si tamen tribuens Eleemosynam pro aliarum Missarum celebratione id sciat, & consentiat, ut illæ tunc demum celebrentur, cum susceptis ante oneribus satisfactum fuerit, Decretum prædictum non prohibet, quò minus hujusmodi Eleemosyna accipiatur. Porro

7. Porro, quandonam cenleantur tam multa esse Missarum onera antiqua, ut nova juxta hoc Decretum non possint fuscipi, discrepant inter se DD. Peyrinus

*ad Confit. 9. Urbani VIII.*

putat, non esse nimis multa Missarum onera, si pro iis satisfieri possit intra triennium. Alii restringunt hoc tempus ad biennium. Utraque sententia est nimis laxa, si isti DD. velint illam universaliter procedere. Tamburinus

*Lib. 3. c. 1. §. 8. n. 8.*

existimat dilationem esse non notabilem, si omnibus satisfieri possit intra trimestre. Card. de Lugo

*de Euchar. D. 21. n. 22. Et Dian. p. 2. tract. 14. ref. 25. cum Villalob. & Ledesm.*

judicant, non nimis multa esse onera, si intra 60. & 50. dies iisdem satisfieri queat. Verum etiam hac opinio, ut notat Pellizar.

*Man. Regul. tract. 5. c. 9. n. 72.*

licet sit valde rationabilis in casu, quo numerus 50. aut 60. Missarum promittitur uni, eidemque ab uno, & eodem Sacerdote ex Stipendio, cum sic praesumatur cedere jure suo, & esse contentus tali dilatione, utpote sciens, ab uno Sacerdote non posse dici tot Missas, nisi tanto temporis intervallo: in casu tamen, quo illae plures Missae petuntur à diversis, & quidem non scientibus, illum Sacerdotem esse aliis multis Missis oneratum, non videtur doctrina ista ita facile admittenda, nisi Sacerdos praemoneat petentes, se jam esse obligatum ad tot Missas; tum enim, si petentes nihilominus alias Missas ab eo exigant, isti in dilationem hanc praesumantur consentire, & sic de illa non poterunt conquiri.

Melius igitur

8. cum Matthæucc. *Offic. Cur. Eccl. c. 10. num. 47.*

relinquitur judicio prudentium, quid per verba dictae Declarationis, & Constitutionis Innocentii XII. §. 33. quibus injungitur, ut Missae celebrentur *intra breve tempus moraliter*, intelligi debeat. Judicium autem hoc non poterit esse uniforme, cum non eadem ubique concurrant circumstantiae loci, temporis, personarum &c. pro quarum variatione etiam variari judicium hoc de diuturnitate dilationis oportebit. Praesertim verò consideranda est causa, ob quam Stipendium pro Missa offertur. Nam si quis Stipendium tribuat, ut Missa celebretur pro Infirmo, agonizante, vel pro expeditione alicujus negotii, quod moram non patitur, ut persæpe fit in locis, ubi celebris Peregrinatio est, Missa celebrari debet tempore congruo ad impetrandum à DEO auxilium in illis necessitatibus. Ratio est, quia tunc circumstantia temporis spectat ad substantiam rei: consequenter consensus offerentis in dilationem ultra hoc tempus non nisi temerè praesumitur; nam in *obscuris minimum est sequendum* juxta *Reg. in obscuris. 30. in 6.*

& in iisdem *inspicimus*, quod est *verisimilius*, vel quod *plerumque fieri consuevit*,

ut habet *Reg. Inspicimus. 45. ibid.*

verisimilius autem, imò certum est, offerentem in tali casu celebrationem Missae non velle differri ultra tempus congruum pro impetrando auxilio in tali necessitate. Ergo &c.

Card. de Lugo. *D. 21. cit. n. 45.* Pelliz. *num. 72. cit.* Gobat. *Theol. Experim. tract. 3. n. 579.* Matthæucc. *num. 47. cit. 5. sed hic nota.*

Aliud est, si Stipendium offeratur absque intuitu praesentis necessitatis spiritualis, vel corporalis, propriae, vel alienae; tunc enim allegatus Gobat *l. cit.* cum Card. de Lugo putat, tutam esse sententiam, si hujusmodi oneri satisfiat intra bimestre, etiam si Sacerdos Stipendium accipiens de hac dilatione non interroget offerentem. At citius tempus istud restringit Pellizar. *n. 72. cit.* ubi ait, probabile esse, Sacerdotem tali casu sine dicta praemontione, vel interrogatione posse simul se obligare ad 15. vel 20. Missas, & à diversis petitis ex Stipendio: & hoc ex interpretativa voluntate petentium.

Porro, si Sacerdos Missas, ad quas dicendas obligatur ex Stipendio, ultra tempus notabile differat, ita ut credere possit, offerentem esse rationabiliter & graviter invitum, per hujusmodi dilationem ille peccabit mortaliter; quia dilatio haec vergere potest in grave damnum eorum, quibus Sacrificium applicandum est, cum fieri possit, ut elapsum sit tempus ad obtinendum, quod intendebatur ab eo, qui dedit Stipendium, aut certe tardius illud consequatur, ut si quis petat Missam ad impetrandam sanitatem Infirmi, aut pro Defuncto, qui ob istam dilationem diutius pati debet acerbissimas poenas in Purgatorio.

Pelliz. *c. 9. cit. n. 71.*

Imò contingere potest, ut ita differens teneatur ad restitutionem accepti Stipendii, ut in casu dato, quo Stipendium acceptum est ad celebrandam Missam pro Infirmo, & Sacerdos celebrationem differat in tempus, quo Infirmus ille jam obiit; sic enim dans Stipendium frustratur suo fine, qui erat impetrare sanitatem Infirmi: consequenter voluit, ut Missa celebretur ante, & non post mortem ejusdem.

Ita Bonacin. *de Sacram. D. 4. q. ult. p. 7.*

*§. 5. n. 2.* Laym. *lib. 5. tract. 5. c. 1.*

*n. 15.* Card. de Lugo. *D. 21. cit. n. 34.*

Dian. *p. 2. tract. 14. resol. 25.* Pellizar.

*n. 71. cit.* & apud hunc Nav. Rodriq.

Henriq. Sylv. Fraxinell. Reginald. Nald.

& alii.

Proinde Missae eorum, qui ob specialem necessitatem eas, Stipendio porrecto, petunt, omnibus caeteris anteferri, & statim legi debent; quia, si etiam hi in communem cum caeteris ordinem redigerentur, executio intentionis eorum saepe differretur ad tempus inutile, quae executio in Jure habetur pro nulla,

9.

10.

nulla, quippe repugnans intentioni petentis, & ad finem, ab ipso intentum, inutilis. Excipitur, si acceleratio talium Missarum, pro quibus ob specialem necessitatem offertur Stipendium, cederet in præjudicium cæterorum offerentium Stipendium pro Missis sub intentione communi; contingere enim posset pro specialiter necessitatem habentibus tot offerri Stipendia, ut cætera Missæ, petita sub intentione communi, differri deberent ultra tempus, ad quod ex intentione Stipendia offerentium consensus præsumi nequit; hoc namque Casu sine interrogatione talia Stipendia offerentium, & accepto ab iis benigno consensu in dilationem, non essent acceptandæ novæ obligationes, usque dum debito tempore satisfactum sit obligationibus antiquioribus. Ut ergo pro specialiter necessitatem habentibus Missæ petita maturari possint, & interea eorum, qui cum intentione communi obtulerunt Stipendia, petitio non nimis diu differatur, consultissimum erit, si qualibet hebdomada legatur certus Sacrorum numerus, e.g. septem, vel plures pro iis, qui cum intentione communi obtulerunt Stipendia; speciales verb intentiones pro necessitatem habentibus non acceptentur plures, quam salvo illo priori numero debito tempore exsolvi possint: quod tamen iterum limitari debet; nam

II.

Si Stipendia pro intentione communi offerentes, explicatâ ipsis impossibilitate adeo maturè legendi Missas desideratas, tamen offerant pro iis Stipendia, censentur hoc ipso in dilationem huiusmodi consentire: atque adeo juxta dictâ Num. 6. dilatio ista non erit contraria menti S. Congregationis, modo tot legantur Missæ, pro quot Missis celebrandis oblatum est Stipendium; item modo tot legantur quotidie, quot, consideratò Sacerdotum numero, & circumstantiis, legi possunt. Nam, si pauciores legerentur quotidie, id esset contra offerentium intentionem; intentio enim istorum præsumi debet esse ista, ut Missæ, pro quibus Stipendia obtulerunt, legantur, quamprimum commode possunt. Sufficiet ergo si illi, qui petunt Missas, dum Stipendia pro iis offerunt, & eorum nomina atque intentiones in Libro ad id destinato annotantur, moneantur, intentioni ipsorum certò satisfactum iri, sed ordine temporis, quo data sunt Stipendia, & exceptis specialem necessitatem habentibus: tunc enim dilatio ad tempus, quo ipsos ordo dati Stipendii tangit, jam erit offerentibus voluntaria, modo executio non differatur in tempus longissimum; nam istud fieri non potest, nisi offerentes de hoc moniti consensum præstiterint.

I2.

Dixi, nisi offerentes consenserint; nam, si offerentes Stipendia, certificati fuerint, quòd non nisi post aliquot annos legi possint Mis-

sæ, pro quibus illi dederunt Stipendia, ista dilatio contraria non erit menti, & intentioni illorum. Præsumitur autem hæc mens, & intentio in casu, quo offerentes vident tot quotidie offerri Stipendia, & tot, nec plures quotidie celebrari Missas, ut hoc numero Missarum spectato, impossibile sit satisfieri intentioni illorum, nisi post aliquot annos; hoc ipso enim, quòd tamen offerant Stipendia pro novis Missis, videntur ista non alia mente offerre, quam ut pro Stipendio à se dato secundum ordinem temporis, quo obtulerunt, ad intentionem illorum legantur Sacra, quamprimum hoc commode fieri potest. Cum ergo videant, hoc commode fieri non posse, nisi post aliquot annos, sic offerendo consentiunt ad tale tempus, adeo que dato hoc consensu, accipientes tot Stipendia in conscientia tui sunt, cum volenti, & consentienti non fiat injuria.

Porro consensus iste facilius præsumi potest in locis, ubi celebris est Peregrinatio ad Imaginem Miraculis, & beneficiis clarum, in quibus locis ex usu & praxi constat, ab eorum Rectoribus acceptari Stipendia pro Missis, quas offerentes sciunt, aut facile scire possunt non posse legi, nisi post longum tempus, & tamen contenti sunt, si eorum intentiones referantur in Libros cum annotatione diei, & anni, quo sunt oblata Stipendia; aliud enim isti, exceptis Missis pro certa necessitate, non videntur prætere, quam ut inter ipsos servetur ordo temporis, & secundum hunc ordinem satisfiat intentioni illorum.

Magis autem Stipendia in huiusmodi Locis gratiosis tanto numero suscipientes satisfaciant conscientie suæ, si in majoribus Solennitatibus vel concursu populorum de modo, quo petitioni ipsorum offerentium Stipendia satisfieri solet, publicè moneant. Imò, ut ad notitiam omnium pervenire hoc possit, curandum omnino, ut ab Ordinario fiat brevis Declaratio, quomodo, & qua intentione, ac ordine legantur Sacra, hæcque Declaratio, in Programmata descripta publicè affigatur ad valvas Ecclesiæ. Quodsi Fideles, sic edocti, offerunt tamen Stipendia pro Missis, acceptari illa sine metu securitarum tot perplexitatum poterunt, ut in simili rectè docet

Gobat tom. 1. tract. 3. n. 598. & 599. tutiores adhuc erunt, si Declaratione huiusmodi factâ, & promulgatâ, is, qui Stipendia oblata annotat, uno verbo à lingulis offerentibus quærat, num consentiant in modum, & ordinem descriptum in Programmata, & ab iis quidem, qui consentierint, Stipendia oblata accipiat, aliorum vero, qui noluerint consentire, recuset,

QUÆ

QUÆRITUR II.

*An Missa, quæ ob excessivum numerum illarum legi non possunt in illa Ecclesia, in qua Fideles offerentes Stipendia illas voluerunt legi, celebrari possint in alia?*

15. Resolvitur  
Quæstio.

**R**ESPONDEO. Per se loquendo non posse hoc fieri, nisi offerentes pro illis Stipendia consentiant. Deducitur ex dictis ad Quæst. præc. & Constitutione Innocentii XII. cit. §. 26. ubi tam Sæculares, quam Regulares Rectores prohibentur suscipere onera Missarum supra vires, & quarum satisfactio- ni impares sunt, & solum debent recipere in eo numero, ut eis intra breve tempus moraliter satisfieri possit à recipientibus tales Missas pro Stipendio: quod repetitur §. 33. atqui hoc frustra prohibitum fuisset, si Missarum oneribus satisfieri in alia Ecclesia posset, & per alios quoscunque Sacerdotes. Igitur mens Pontificis fuit, ut celebrarentur in Ecclesia, in qua Fideles offerentes Stipendia illas voluerunt dici. Et sic decrevit S. Congregatio Concilii in una Regularium 17. Aug. 1647. apud Pascucc. in Compend. ad Consult. Canon. Jacob. Pignat. p. 2. tit. de Miss. Sacrif. pag. 45. ibi: *Generales Ordinum non possunt propria auctoritate celebrari facere in Monasteriis aliarum Civitatum, vel Provinciarum, aut Regnorum, etiam extra Italiam, quantitate Missarum, pro quibus uni tantum Ecclesia fuerunt elargita Eleemosyna: additque ibidem S. Congregatio, hoc tanquam abusum esse tollendum.*

16.

Confirmatur à pari cum eo, qui vel ex fundatione Beneficii sui, vel ex Stipendio Manuali, in hunc finem recepto, debet Missam dicere in certo Altari; nam hic ex communi Sententia,

quam præter alios docent Navarr. c. 25. num. 134. Azor p. 1. l. 10. c. 24. Bonac. D. 4. de Sacram. q. ult. p. 7. §. 4. Gobat tom. 1. Theolog. Exper. tract. 3. n. 557.

tenetur dicere ejusmodi Missam in eo Altari, & peccat mortaliter, si alibi sacrificet. Et ratio est, quia intentio Fundatoris, vel offerentium Stipendia fuit, ut Missa dicatur in tali Altari, cui intentioni alibi Missam dicens contravenit, & quidem in re gravi, præsertim si Missa dicenda esset in Altari Privilegiato, & ipse diceret eam in non Privilegiato, aut si dicenda esset in Altari Imaginis Miraculosæ, & ipse eam diceret in alio non habente talem Imaginem. Excipit Gobat loc. cit. cum aliis supra allegatis, nisi justa causa excuset. Talis autem causa juxta eosdem non est sola voluntas, aut permissio Hæredum Fundatoris; isti enim non habent Jus mutandi voluntatem ultimam Testatoris, sicut in ipsa hac materia aliquando ex justa causa habet Episcopus. Aliud est

R. P. Schmalzgruber Consil. Tom. 1.

in Missis Manualibus; cum enim istæ solummodo debeantur ex Contractu, vel Pacto, quo Sacerdos pro Stipendio se obligat offerenti, & à Contractu, vel Pacto mutuâ paciscentium voluntate ex toto, aut ex parte recedi liberè possit, ut hæc Missæ dici in alio loco possint, sufficiet solus consensus petentium Missas pro Stipendio à se dato.

Est autem hic consensus offerentium omnino necessarius, ut tales Missæ Manuales, præsertim constitutæ in aliquo loco gratioso, dici in alio loco possint; horum enim intentio videtur eò maximè tendere, ut in loco tali dicatur Missa, & sic ipsi offerentes plurium gratiarum fiant participes: quo solatio carerent, si Missa legeretur in alio loco, maximè si ille non esset adeò gratiosus. Videntur igitur dare Stipendia non tantum, ut Missa legatur ubilibet, sed etiam sub conditione hac onerosa, ut illa legatur in tali loco. Unde potius non esset acceptandum Stipendium, si intentioni huic satisfieri non possit, vel saltem de rei impossibilitate edocendi offerentes.

Gobat tom. 1. tract. 3. n. 598.

Sufficit tamen subinde consensus offerentium præsumptus, præsertim postquam jam acceptata sunt tam multa Stipendia, ut adeò brevi offerentibus satisfieri nequeat. Et quidem, si Missæ Manuales, pro Stipendio recepto dicendæ, in tantum excreverint numerum, ut in loco gratioso vel omnino non, vel non nisi post longissimum tempus absolvi possint, tunc, nisi præsumi possit, quòd offerentes Stipendia in dilationem temporis tanti consenserint, ex præsumpta istorum voluntate, illæ alibi possunt, & debent legi, quia quisque præsumi debet malle partem, ubi totum haberi non potest, & generalis doctrina est,

quam ex c. cum dilecti. 6. de dol. & contum. deducit. Navar. de Orat. & Hor. Can. c. 11. n. 10.

quòd, qui non potest facere totum, vel eo modo, quo jubetur, teneatur facere partem, vel totum illo modo, quo potest. Quod præsertim procedit, quando Missæ hujusmodi præcisè intenduntur à Stipendia Offerentibus ad honorandum DEUM, vel Sanctum aliquem, quod

juxta Gobat n. 578. cit.

in dubio præsumendum est; tunc enim Stipendium accipiens, si non potest dicere Missam in loco destinato, potest eam dicere, vel dici curare per alium Sacerdotem alibi, præsertim, si locus ille, in quem dimittuntur hujusmodi Missæ, veneratione ejusdem Sancti, in cujus honorem legi illæ debent, sit celebris.

Antequam verò Missæ, destinata à Stipendium Offerentibus pro certo loco, dimittantur alio, 1. Consideranda est qualitas illarum, & intentio petentium illas; nam, si præcisè sint dicendæ pro defunctis, cum Missa, ubicunque illa legatur, habeat eundem

Zzz

17.

18.

19.

dem quoad defunctos effectum, facilius in hujusmodi dimissionem in casu, quo aliis diutius differri deberent, præsumi potest consensus offerentium, quippe, cum quò citius illæ leguntur, tantò illud sit melius. At, si legenda sunt pro vivis ad impetrandam certam aliquam gratiam, vel ad obtinendum auxilium in quadam gravi necessitate, non tam facile præsumi potest consensus offerentium ad hoc, ut illæ celebrentur alibi; nam isti præsumuntur non intendere præcisè premium Sacrificii, quod est infinitum, sed simul etiam intercessionem Sancti, in cujus honorem dicenda est, qui in loco, ubi populi accursu colitur, liberalius se implorantibus dispersit suos favores, quàm alibi. 2. Etiam Missæ, quæ petuntur sub intentione communi, non facile dimitti aliò debent, si spes sit, ut tempore congruo dici possint in loco ab Offerentibus destinato: & hinc, ut citius fiat obligationis in eo loco solutio, constituendi in illo loco, vel accerfendi aliunde sunt plures Sacerdotes, qui ibidem Missas pro Offerentium intentione celebrent. Quodsi verò circumstantiæ loci, vel quia habitatio plures Sacerdotes ibi non capit, vel quia ad magnum itineris spatium acciri debeant, hoc non permittunt, 3. Considerandum est tempus, in quod differri executio intentionis Stipendia Offerentium deberet, si Missæ illæ legenda essent in loco destinato; nam si infra decennium saltem, vel aliud simile tempus, ab Ordinario constitutum, absolvi obligatio possit, tunc, quia ad istud tempus Offerentium, non specialem intentionem habentium consensus præsumi potest, non erit necesse Missas legendas distribui per alia loca, sed legi debent in ipso gratuito loco. 4. In dubio, quo incertum est, an præsumi offerentium consensus in hujusmodi translationem possit, exquirendum est iudicium Ordinaris, ut mentem Offerentium interpretetur.

### QUÆRITUR III.

*An in Casu, quo Missæ, legenda in Loco Gratioso, possunt dimitti in alium quendam locum, hoc fieri possit pro minori Stipendio, vel ea tradi Sacerdotibus Sacularibus, vel Regularibus, qui eas alibi gratis legant?*

20.

**N**Otandum hic est discrimen, quod DD. communiter faciunt inter eos, qui ratione Parochiæ, Capellaniæ, vel Beneficii alterius ad plura Sacra legenda adstringuntur, & inter eos, qui ad Missas dicendas obligantur, ut in Casu præsentis, ratione Stipendii à Fidelibus accepti? Priores possunt celebrationem earum, iusto Stipendio, concedere alteri, & residuum sibi reservare. Ita post alios notat

Sa V. Missa. n. 45. Suarez part. 3. D. 86.

sect. 3. circ. fin. Vasq. D. 234. c. 4. post med. Laym. lib. 5. tract. 5. c. 1. q. 3. concl. 1. Barbol. de Offic. Episc. alleg. 24. num. 11. Bonac. D. 4. de Sacram. q. ult. p. 8. n. 18. Pal. tract. 22. D. un. p. 14. num. 9. Mattheucc. Offic. Eccl. c. 10. n. 29. ad 8. & teste P. Wiestner ad lib. 3. tit. 41. n. 46. ceteri melioris notæ DD.

sicque respondit S. Congr. Concil. in Declaratione edita 21. Junij 1625. ad 8. ibi, Restor Beneficii, qui potest per alium celebrare, non tenetur Sacerdoti celebranti dare Stipendium ad rationem reddituum Beneficii, sed satis est, ut ei Eleemosynam congruam tribuat juxta morem Civitatis, vel Provinciae, nisi in fundatione ipsius Beneficii aliud cautum fuerit. Ratio est, quia Parochi, & Beneficiati titulo Parochiæ, vel Beneficii constituuntur absolute Domini fructuum, & reddituum: consequenter satisfaciunt intentioni Fundatorum, & obligationi Officii sui, modò impleant onus Ministerii stabiliter annexum Beneficio. Hoc autem implent, si eas Missas per alium curent; quia, nisi Fundator aliter disposuerit, liberum Beneficiato est illi oneri vel per se, vel per alium satisfacere.

Aliud est de aliis Sacerdotibus, & de ipsis Parochiis, ac Beneficiatis quoad Missas, quas legere debent non ex obligatione Beneficii sui, sed ex Stipendio Manuali pro eis accepto; nam isti pro Missa hujusmodi dicenda minus Stipendium, quàm ipsi pro ea acceperint, quando illam dicendam dant alteri, non possunt dare, sed sine diminutione illud reddere eidem debent.

Ita Navar. Man. c. 25. n. 91. §. 24. peccat. Laym. l. cit. n. 14. Barbol. n. 11. cit. cum reliquis supra; & statuit S. Congregatio in dicta Declaratione ad 7. apud Barbol. dict. n. 11. in fin. & Mattheucc. c. 10. cit. n. 14. §. 29. estque confirmatum ab Innoc. XII. Const. edita 10. Calend. Januarii. 1697.

Contrariam opinionem inter Propositiones à se prohibitas retulit Alexander VII. quæ ita sonat: Post Decretum Urbani VIII. potest Sacerdos, cui Missæ celebranda traduntur, per alium satisfacere, collato illi minore Stipendio, alià parte Stipendii reservatà sibi. Clara sunt allegatæ S. Congregationis verba, ubi decernit, Sacerdos, qui Missam suscipit celebrandam cum certa Eleemosyna, ne eandem Missam alteri, parte ejusdem Eleemosyna sibi retentâ, celebrandam committat.

Vide præter cetera. Cordeirum de perfect. Paroch. p. 1. tract. 4. de Sacrif. Miss. q. 23. n. 7.

Et hoc procedit etiam in Casu, quo Sacerdoti, qui Missam à se celebrandam alteri committit, oblata fuit pro celebratione Missæ Eleemosyna major solita; nam adhuc ab illo Stipendium integrum tribui celebranti debet, ut declaravit sæpe allegata S. Congregatio ad 9. ibi: Sacerdotes, quibus aliquando offer-

offertur Eleemosyna major solita pro celebratione Missæ, debent dare eandem integram Eleemosynam iis, quibus Missas celebrandas committunt, nec ideo satis est, ut dent celebrantibus Eleemosynam consuetam. Ratio est, quia ita velle præsumuntur Fideles, Sacrificanti Stipendium amplius assignantes; præsumuntur enim hoc facere eâ intentione, ut Sacrificans ad maiorem cooperationem, & accurationem suæ liberalitatis intuitu excitetur.

23.

Extenditur hoc etiam ad Ecclesias, & alia Loca pia, horumque Administratores; nam, ut eadem S. Congregatio in allegata Declaratione ad 7. respondit, ne his quidem permittendum, ut - - ex Eleemosynis Missarum celebrandarum ullam, ut cunque minimam, portionem retineant ratione expensarum, quas subeunt in Missarum celebratione, nisi, cum Ecclesia, & Loca pia alios non habent Reditus, quos in usum earundem expensarum erogare licite possint. Et tunc concedit ibidem S. Congregatio, ut huiusmodi Ecclesia, & Loca pia possint aliquam portionem retinere de Eleemosynis oblatis pro Missis celebrandis, dummodo prædicta portio non excedat valorem expensarum, addita tamen monitione, ut nihilominus - - eo etiam casu ex pecuniis, quæ superflua sunt, expensis, ut supra, deductis, absolute tot Missæ celebrentur, quot præscripta fuerunt ab offerentibus Eleemosynas.

24.

Estque hæc obligatio expendendi integram Eleemosynam, pro Missa oblatam, gravis, ita, ut, etsi quantitas retenta sit levis, tamen eam retinens peccet mortaliter,

quemadmodum contra Bordon in Conf. Regul. resol. 25. n. 28. verius docent Averla q. 11. de Eych. sect. 17. ad fin. Lug. de Sacram. lib. 5. c. 12. q. 7. n. 77. Peyrin. tom. 3. de Privileg. ad Const. 9. Urbani VIII. Pignatell. tom. 4. consult. 227. n. 7. Matthæucc. Offic. Eccl. c. 10. n. 48. & hoc teste respondit S. Congregatio in Anconitan. Eleemos. 5. Jul. 1664.

Ratio est, quia prohibitio hæc gravis est tum ratione materiæ, tum ex intentione Ecclesiæ prohibentis: ex intentione Ecclesiæ quidem; Quia Sancta Sedes intendit conservare Ecclesiæ Ministros in SS. Mysteriis exhibendis innoxios, & ab ipsis removere ea, quæ ipsorum candori repugnant, cujus generis est tale lucrum, quod mercaturam, Ecclesiasticis indignam, præ se fert: ratione materiæ verò, cum illa materia gravis reputetur respectu prohibitionis, quæ graviter obstat fini intento. Huic autem sic adversatur hoc lucrum, ut vidimus, & obligatio tantum sub veniali non esset medium sufficiens ad lucrum hoc excludendum. Ergo &c.

25.

Porro ita peccari à retinente partem Stipendii, verum est, etiam si Stipendium, quod dat, adhuc in ea sit quantitate, in qua taxatum est Lege, vel consuetudine; nam etiam pinguem dans Eleemosynam pro Missa, dat illam non intuitu amicitiae, vel donationis, sed in mercedem laboris, & onere

R. P. Schmalzgrueber Consil. Tom. I.

ris, quod imponit ad celebrandum. Igitur integra transit cum ipso onere ad eum, qui onus hoc suscipit, & implet: & hinc, dum ei integra Eleemosyna non confertur, ipsi non datur totum, quod est ei de Jure debitum, & sic fit ipsi injuria.

Pignatell. l. cit. n. 11.

Ex quo

contra Quartum in Rubr. Missal. in Append. q. 4. p. 1. diff. 3. dub. 1.

sequitur, eum, qui, retentâ parte Stipendii, pro minore Stipendio Missam dicendam committit alteri, peccare non solum contra Obedientiam, Decretis Pontificiis debitam, sed etiam contra Justitiam, & ideo confurgere obligationem restituendi,

uti docent l. cit. Pignatellus, & Matthæuccius, atque resolvit S. Congregatio in dict. Anconit. Eleemosyn.

26.

Excipit ergo S. Congregatio solummodo Casum, quo Ecclesia, in qua Missæ dicendæ sunt pro Stipendio, non habet reditus alios, quos in usum expensarum pro illis licite erogare possit; tunc enim concedit portionem aliquam Stipendii retinere, sed non excedentem expensarum valorem. Exceptio hæc præcipue locum habet in Casu, quo Locus aliquis pius noviter accessu populis, & beneficiis, per intercessionem aliqujus Sancti, qui ibi colitur, celebrari cepit; cum enim in tali loco pro commoditate Sacerdotum, qui ibi Confessiones Peregrinantium audiunt, vel Missas dicunt, item pro cultu, & ornatu ipsius Ecclesiæ, ut in meliorem statum, & tali concursu dignum reducatur, multa paranda sint, merito præsumi potest, quod offerentes Stipendium excessum istius ultra consuetam quantitatem non dent solummodo Missæ intuitu, sed maxime ad promovendam Peregrinationem, tanquam donum liberale oblatum B. Virgini, vel Sancto alii, qui ibi colitur. Impendi proin excessus hic poterit tali casu in Ecclesiæ illius Ministros alendos, maxime verò in fabricam. Non tamen etiam hoc casu ita minuenda essent Stipendia, ut non detur plus, quam sit ordinarium; cum enim juxta taxam aliquarum Dicecesium Stipendium sit exiguum, Fideles offerendo Stipendium majus, videntur etiam partialiter relevare velle paupertatem Sacerdotum occupatorum in Missis dicendis in loco hoc gratioso. In arbitrio ergo Ordinarii erit determinare, quantum pro fabrica, & aliis ex pinguiori Stipendio retineri possit.

Triplicem aliam Exceptionem à sæpe memorato Decreto S. Congregationis addit Tambur.

27.

Lib. 3. c. 1. §. 5. de Stipend. n. 12.

1. Si alicubi Decretum hoc non sit usu receptum; quia est communis doctrina in Legibus positivis, quod per non usum iis derogari, vel eadem omnino aboleri possint.

2. Si excessus datus fuit alio, quam Missæ intuitu, ut, quando datus est ex commiseratione

Z z z 2

ratione



ratione Paupertatis, quâ laborat Sacerdos, cui committitur dicenda Missa pro Stipendio; hic enim, quando istam per seipsum dicere nequit, & propterea illam committit alteri, potest retinere id, quod excedit ordinariam quantitatem Stipendii. 3. Si Sacerdos, cui Missa celebranda committitur, sit expressè contentus modica parte oblatis Stipendii; potest enim illi, à quo Missa ipsius locò eidem dicenda committitur, donare, & remittere integrum Stipendium. Ergo etiam partem Stipendii. Debet autem Sacerdos, qui contentus minori Stipendio, quam oblatum sit, locò alterius, qui partem illius retinet, dicit Missam, scire, quòd largius sit oblatum Stipendium; cum enim ignorantis nullus sit consensus, is, qui nescit, largius Stipendium esse oblatum, præsumi non potest excessum remisisse, quippe qui fortasse, si hoc sciret, uteretur Jure suo.

28.  
Resolvitur  
Quæstio.

Quare ad Quæstionem hanc tertiam, extra dubium  
DICENDUM est, quòd in Casu, quo Missæ legendæ in Loco Gratiioso, dimitti possunt in alium quendam Locum, illæ dicendæ committi queant aliis Sacerdotibus Sæcularibus, vel Regularibus, qui eas alibi gratis legant. Item iis committi illæ possunt pro minori Stipendio, si in hoc spontè consentiant, ob rationem Num.prac. datam.

#### QUÆRITUR IV.

*An Stipendia Missarum Votivarum possint licitè applicari pro novo aliquo pio Opere inchoando, & in subsidium præsertim Sacerdotum emeritorum, qui deinde suo tempore Missas has dicant?*

29.  
Resolvitur  
Quæstio.

RESPONDEO posse, servatis tamen tribus sequentibus Limitationibus. 1. Ut de hoc requiratur Consensus Ordinarii; nam hic videtur omnino esse necessarius, cum hujusmodi piæ Domus sine tali Consensu non possint erigi. Quod si tamen consenserit Ordinarius in erectionem talis Domûs, præsumitur etiam consensisse, ut expensæ pro illa construenda sumantur ex Stipendiis Missarum Votivarum, quæ non nisi post longius tempus dici possunt ob multitudinem eas petentium, modò observentur duæ sequentes Conditiones, & moraliter certum sit, tales Missas suo ordine dici posse; sæpe enim, ut in aliis humanis rebus, ita etiam in talibus Locis Gratiiosis contingit, ut aliquo tempore concursu Peregrinantium floreat, post aliquot verò annos, maxime, ubi in alio Loco celebrari incipit nova Peregrinatio, concursus hujusmodi cesset: quo fieret, ut, consumptis jam Stipendiis, nemo amplius inveniri facile posset, qui Missas restantes gratis celebrare vellet, quod vergeret in detrimen-

tum Stipendia Offerentium, & esset contra intentionem illorum. Hinc in eum Casum, quo fortasse cessaret Locus Gratiiosus tanto concursu Peregrinantium, & Stipendia Offerentium celebrari, tali Domui providendum esset de aliis Reditibus stabilibus, ex quibus ali competententer possint Sacerdotes ibi degentes, qui Missas restantes dicant.

2. Ut nihilominus dicantur tot Missæ, pro quot Missis dicendis oblatum fuit Stipendium: idque ex mente S. Congregationis Concilii, quæ in sæpius allegatis Decretis, & Declarationibus: *Tot Missa, inquit, absolute celebrentur, quot ad rationem attributa Eleemosyna præscripta fuerim. Et qui secus fecerit, obligationi non satisfaciet, graviter peccabit, & ad restitutionem tenebitur;* Verba autem, *Præscripta fuerint*, ex ejusdem S. Congregationis Declaratione ad 2. important Præscriptionem factam ab Offerente; non verò ab Ordinario: *At si tribuens Eleemosynam numerum Missarum celebrandarum non præscripserit, tunc tot Missa celebrentur, quot præscripserit Ordinarius secundum morem suæ Civitatis, vel Provinciæ.* Ut verò hoc in futurum accurate servetur, ab eadem S. Congregatione Revocantur Privilegia, & Indulta quacunquæ, & quibuscunque concessa, quibus indulgetur, ut certarum Missarum, vel Anniversariorum celebratione, aut aliquibus Collectis, seu Orationibus plurium Missarum oneribus, in futurum suscipiendis, satisfaciat; ubi dicta S. Congregatio in Declaratione ad 6. notat, verba: *In futurum suscipiendis intelligenda esse de oneribus suscipiendis post Privilegium.* Ratio sic statuendi urgentissima fuit; quia si pauciores dicerentur Missæ, offerentes Stipendia fraudarentur fructu suo, & fieret contra intentionem illorum, quippe qui voluerunt integram Missam, pro qua obtulerunt Stipendium.

3. Ut tot Missæ legantur quotidie ad offerentium intentionem, quot, considerato numero Sacerdotum, & circumstantiis, legi possent, si pecuniæ non fuissent expensæ pro tali pio opere: nam, si pauciores legerentur quotidie, applicatio hæc Stipendiorum foret contra intentionem Offerentium, cui per allegata sua Decreta consultum esse voluit S. Congregatio; intentio enim Offerentium præsumi debet esse ista, ut Missæ, pro quibus Stipendia obtulerunt, legantur, quamprimum commodè possunt.

Si servetur hæc triplex Limitatio, pecuniæ, ex Stipendiis, in Celebrationem Missarum à Peregrinantibus ad talem Locum Gratiiosum collatæ, non obstantibus Decretis Urbani VIII. elocari ad Centum annuum possunt, ut Anno 1703. resolvit in simili Casu Sacra Facultas Theologica Oenipontana; sic enim nihil agitur contra intentionem Offerentium: Ergo nec contra dicta Decreta, quippe cum hoc modo non retardentur Missæ celebrandæ, sed eodem ordine.

QUÆRITUR V.

*Quid, si iam aliquot Millia hujusmodi Missarum ex Consilio Viri Docti, & practici, absque Consensu expresso quidem, prasumpto tamen commissa sunt aliis, extra Locum Gratosum, in alio tamen similiter Gratoso ab ipsis legenda?*

**R**esponso ad hanc Quæstionem patet ex dictis ad Quæstionem 2. Vel enim Missæ hæc tales sunt, quæ ex Offerentium Stipendia pro illis voluntate expressa, aut rationabiliter præsumpta legi alibi possunt; vel contra de iis alibi legendis non potest prudenter præsumi eorum Consensus. Si Missæ, aliò dimissæ, fuerunt ex priori genere, rectè factum id est, præsertim si dimissæ sint ad locum, ubi similis est Devotio, & concursus ad eundem Sanctum, æqualiter in illo loco propitium: neque ad hoc necessarius est Consensus Ordinarii expressus, nisi in Casu dubio, quo incertum est, an præsumi Consensus Offerentium in hujusmodi Translationem possit; in tali enim dubio hujus Judicium necessario foret exquirendum, ut dictum est Num. 19. in fine.

Si verò Missæ sint de posteriori genere, seu tales, de quibus alibi legendis non potest prudenter præsumi Consensus Offerentium pro iis Stipendia, non possunt illæ juxta dicta Num. 17. legi alibi; sed potius non esset acceptandum pro illis Stipendium, si intentioni Offerentium non possit satisfieri tempore congruo. Post acceptata verò in tanto numero Stipendia, ut Sacerdotes, qui in Loco hujusmodi Gratoso degunt, ad Missas, pro iis dicendas tempore congruo, non sufficiant, juxta dicta Num. 19. §. 2. omni modo, advocando scilicet in adiutorium alios Sacerdotes, eò connitendum, ut tempestivè, & competenti tempore satisfiat intentioni Stipendia Offerentium.

Quodsi autem nec sic quidem impleri obligatio Stipendorum, in tanto numero acceptorum, possit, petenda pro Missis hujus posterioris generis, ut alibi dici possint, erit licentia, quam Ordinarius interpellatus facilius dabit ad locum alium, qui æquè celebris Beneficii impetratis, & sub invocatione ejusdem Sancti, cujus intercessio petitur, consecratus sit. Ut verò in alio loco minus celebri, & sub invocatione alterius Sancti consecrato hujusmodi Missæ dici possint, videtur esse necessaria licentia Summi Pontificis; quia tunc locus, ab Offerentibus Stipendia electus, cadit sub obligationem, ab illis impositam, & à recipientibus Stipendia acceptatam, consequenter est de substantia, cui obligationi hoc modo non satisfaceret per æquipollens: in quo Casu cum tali præjudicio Stipendia Offerentium non videtur dispensare posse Ordinarius: unde

33.

34.

35.

36.

37.

ordine, numero, & tempore legantur, quo ordine, numero, & tempore legerentur, si ad Censum annuum expensæ non fuissent. Debent tamen Offerentes Stipendia, ut dictum est Num. 10. moneri de hoc modo successe dicendi Missas petitas.

Ex paritate hujus Casus cum Casu præsentis Quæstionis ad hanc sequitur Responso affirmativa: consequenter dicendum, quòd servatis dictis tribus Limitationibus, Stipendia Missarum Votivarum licite applicari possint pro novo aliquo pio opere inchoando, & in Subsidium præsertim Sacerdotum emeritorum, qui deinde suo tempore Missas has dicant. Ratio in utroque Casu est eadem; nam, postquam de hoc modo celebrandi successe Missas offerentes sunt moniti, nec dicta elocatio, nec applicatio Stipendorum ad novum hujusmodi Opus pium inchoandum videtur esse contraria intentioni illorum, nisi simul eidem contraria sit acceptatio tot Stipendorum pro Missis, quæ non nisi post longum tempus dici possunt. Atqui hæc acceptatio post modum ita successe celebrandi Sacra Offerentibus explicatum non amplius est contraria intentioni illorum; nam, ut Num. 12. dictum est, hoc ipso, quòd videant tot quotidie offerri Stipendia, & tot, & non plures quotidie celebrari Missas, sciunt intentioni suæ satisfieri non posse, nisi post aliquot annos, & tamen Stipendia offerunt pro novis Missis. Igitur sic offerendo videntur non alia mente, & intentione offerre, nisi, ut pro Stipendio à se dato secundum ordinem temporis, quò obtulerunt, ad intentionem illorum legantur Missæ, quamprimum commodè hoc fieri potest. Vident autem hoc commodè fieri non posse, nisi post aliquot annos. Igitur, nisi pro urgente aliqua necessitate Missas ejusmodi petant, sic offerendo consentiunt in dilationem ad tale tempus.

Ratio hæc magis urget in Casu, quo per novam structuram Domus paratur habitatio pro pluribus Sacerdotibus, qui Missas Votivas celebrent in Loco Gratoso; sic enim non solum non retardatur, sed promovetur celerior Celebratio Missarum petitarum, simulque augetur concursus Peregrinantium ad ejusmodi Locum Gratosum, ut adeò applicatio Stipendorum pro tali Structura videatur maxime consentanea intentioni Offerentium, quippe qui de hoc interrogati libentissimè consentirent in hujusmodi applicationem. Aliud est, si talis Domus pro Sacerdotibus emeritis construeretur alibi, & extra hujusmodi Locum Gratosum, & his darentur Missæ, in Ecclesia hujus sui Domicilii legendæ; nam his juxta dicta ad Quæstionem 2. non possunt tradi Missæ dicendæ, nisi de quibus habetur Consensus expressus, vel rationabiliter præsumptus, offerentium Stipendia, quòd contenti sint, ut illæ legantur alibi.

unde tunc recurrendum erit ad S. Congregationem Concilii, cujus hæc est materia propria.

38. In Casu autem, quo jam dictæ sunt hujusmodi Missæ in loco, ubi per intentionem Stipendia Offerentium non oportebat, & sine licentia ejus, qui eam debuisset dare, cum hoc modo mittentes eas alio deliquerint contra obligationem suam, & quidem Justitiæ ex pacto, & conventionem, isti de hoc peccato accusare debent se in Sacro Tribunali Penitentia, in quo absolvere illos poterit quivis Sacerdos approbatus, & Jurisdictionem pro Foro Conscientiæ in eos habens, cum peccatum hoc non inveniatur alicubi reservatum esse. Si damnatum inde aliquod Stipendia Offerentibus ortum est, eo, quod fortasse non impetraverint hoc modo petitem Beneficium, quod forte impetrassent, si in loco ab Offerente præscripto lectum fuisset Sacrum petitem (quod tamen difficulter resciri potest, cum sæpe DEUS, & Sancti bonâ implorantium voluntate contenti sint, & secundum hujus mensuram favores distribuunt) damnatum istud resarciri debet per alia Bona Spirituality, & illis ipsis, pro quibus Missæ in tali loco dicendæ erant, eo ferè modo, quo damnatum, ex nimia dilatione Missæ secutum Offerentibus Stipendia, resarcendum cum Peyrinis vult P. Gobat

tom. 1. Theol. Exper. tract. 3. n. 596.

ubi ait, illud reparandum esse aliis Orationibus ordinatis ad eum finem, qui rationaliter videtur esse intentus ab iis, quibus debebantur Missæ dilata. Ex hæcenus dictis sequitur

### Resolutio præsentis Casus.

39. **I**N hoc Casu supponitur 1. Missas, pro quibus oblata Stipendia à Peregrinantibus sunt, legendas restare 73920. 2. Intra hos annos in Domo Sacerdotum non potuisse locari, nisi viginti duntaxat, quibus proinde singulis, diebus singulis distribuæ sunt Missæ legendæ ad intentionem Stipendia Offerentium. Tot autem quotidie offeruntur Stipendia, ut necessarium sit singulis annis restare quasi dimidiam partem Missarum petitarum. 3. Missas pro Defunctis, & pro Vivis ex causa necessaria, & urgente Stipendium Offerentibus dici semper tempore congruo, ut adeo, quæ restant, sint solum petita sub intentione communi, puta in honorem Beate Virginis, aut in gratiarum actionem pro Beneficiis ad invocationem ejus receptis. 4. Offerentibus Stipendia pro tali communi intentione non fuisse Promissionem, aut spem factam, quod statim legendæ essent ipsorum Missæ, sed quod ritè ipsorum nomina, & intentiones inscribendæ sint Libro, & successivè secundum ordinem inscriptionis de anno ad annum legendæ. 5. Stipendia residua-

rum hujusmodi Missarum, ita exigente necessitate, ut citius expediri intentiones eas petentium possint, interim fuisse applicata ad construendam Domum Clericalem pro habitatione dictorum viginti Sacerdotum, cum intentione suo tempore resarciendi Stipendia sic applicata, & pro iis dicendi Missas ab Offerentibus desideratas. His suppositis,

Quærebatur 1. An licuerit acceptare tot Missas, cum prævisione omnimodæ impossibilitatis, quod tam maturè legi eadem possint? 2. An ob multitudinem Missarum restantium curari illæ, & mitti alio possint, præsertim legendæ in loco tali, ubi pariter accessu populi celebratur Imago Thvmaturga Beate Virginis, & hoc modo concursus ad istam augeri potest? Et si hoc fieri potest? 3. An dari istæ in tali loco, vel alibi possint aliis Sacerdotibus pro minori Stipendio, aut qui gratis eadem legant? 4. An ad hoc necessaria sit licentia Ordinarii, vel requiratur Consensus ipsius Pontificis? & si hujus, ad quam Congregationem Casus iste sit deferendus? 5. Quenam sit spes obtinendi licentiam istam, & Dispensationem? Et an impetrari illa possit occultè, ita, ut non veniat in notitiam Peregrinantium? 6. An præteritâ hac viâ Dispensationis, in Conscientiæ Foro securus sit Loci hujus Gratioli Administrator, si Missas restantes curet legi in tempore possibili, modo legantur certò? 7. Quid, si jam aliquot millia hujusmodi Missarum, non petita, præsumpta tamen Ordinarii licentiâ, ex consilio Viri docti, & practici aliis alibi legenda commissa sint, præsertim cum onere, ut legantur in loco pariter Peregrinationibus ad Iconem Beate Virginis Thvmaturgam celebris? 8. An, omittâ Translatione hujusmodi Missarum, Stipendia pro illis data applicari interea possint pro novo aliquo Operis pio inchoando, & præsertim in subsidium Sacerdotum emeritorum.

Ad 1. Respondeo, in Casu præsentis, etiam cum prævisione impossibilitatis, quod tam citò Missæ receptæ legi nequeant, tamen licitè potuerunt illæ recipi in tanto numero, modo pro illis, quæ petita fuerunt pro urgente necessitate, satisfiat tempore congruo. Ratio est, quia licet S. Congregatio Concilii in Decretis jussu Urbani VIII. 21. Junii 1625. editis, & in horum Declaratione ab eadem data 23. Novemb. 1697. ac per Innocentium XII. in speciali Constitutione 10. Calend. Januar. eodem anno confirmatâ, prohibeat, etiam ab Administratoribus Ecclesiarum magnæ devotionis, & concursus, recipi Eleemosynas, & Stipendia pro Missis novis celebrandis, nisi oneribus antea impositis ita satisfactum sit, ut nova onera suscipi possint, ut dictum est *Num. 2. & tribus seqq.* tamen juxta eadem Decreta, & Declarationem, ut patet ex dictis *Num. 6. 7.*

6. 7. & 8. non est contra prohibitionem ejusdem S. Congregationis, si suscipiantur nova Missarum onera, ubi his, & antiquis non impletis intra breve tempus, prudentium iudicio pro tali aestimandum, satisfieri potest, & ea, quae petuntur pro praesenti, & urgenti aliqua necessitate, ceteris anteferantur, leganturque tempore ad impetrandum in tali necessitate auxilium Divinum congruo; nam istae si ultra tempus notabile differantur, *juxta Num. 9.* peccabitur mortaliter, & aliquando sic differens obligabitur ad restitutionem accepti Stipendii. Proinde istae *juxta Num. 10.* statim legi debent, aut calu, quo per accelerationem earum retardarentur Missae, petita sub intentione communi, omnino non acceptari. Longiorem dilationem patiuntur Missae, petita cum intentione communi, praesertim si Fideles, edocti de impossibilitate eas adeo mature legendi, tamen pro illis Stipendia offerant; hoc ipso enim censetur consentire in talem dilationem, esseque contenti, si Missae eorum legantur secundum ordinem temporis, quo intentiones illorum inscriptae sunt Libro ad hoc destinato, *juxta dicta Num. 11. & 12.* quod praecipue locum habet in Locis, ubi magnus est populi, hujusmodi Missas petentium accursus, ut dictum est *Num. 13.* praesertim, quando aliquoties in anno, ubi major concursus est, vel e pulpito, vel per Programmata edocentur Offerentes Stipendia de modo, & ordine Missas tales legendi, quod *juxta Num. 14.* ad tollendas perplexitates perutile erit.

Ad 2. Iterum Responsio est affirmativa; nam etsi *juxta Decreta, & Constitutionem Innocentianam cit.* Missae, pro quibus unitantum Ecclesiae elargitae sunt Eleemosynae, propriae Rectorum auctoritate non possunt dimitti, ut celebrentur in alia, ut dictum est *Num. 15.* tamen hoc *juxta Num. 16.* intelligendum duntaxat est, nisi causa justa hoc exigat, adsitque consensus eorum, qui ad hujusmodi translationem consentire debent: & quidem, ut Missae, in certo loco ex fundatione legendae, transferantur in alium locum, necessarius est consensus Ordinarii; ad eas vero, pro quibus Manuales Eleemosynae oblatae sunt, sufficit consensus Offerentium, qui *juxta Num. 18.* praesumitur in casu, quo ob multitudinem Stipendiorum oblatorum alias Missae differendae essent in longissimum tempus; quia quisque praesumi debet malle partem, ubi totum haberi non potest: quod praesertim procedit, quando Missae hujusmodi (ut istae, de quibus in praesenti Casu est Quaestio) petuntur praecise sub intentione communi; nam, ut dictum est *Num. 19.* Missae, petita ad impetrandam certam aliquam gratiam, vel obtinendum auxilium in quadam gravi necessitate, celebrandae sunt in loco gratioso, pro quo destinantur legendae, cum in hoc Offerentes sperent praeiorem exauditionem. Unde *juxta Num. 17.* pro iis

potius non esset acceptandum Stipendium, si intentioni huic satisfieri non possit, vel saltem de rei impossibilitate edocendi offerentes. Sed neque Missae, quae petuntur sub intentione communi, ut dictum est *Num. 19.* facile dimitti alio debent, si spes sit eas tempore congruo dici posse, nam tunc ad eas alio dimittendas praesumi consensus Stipendia Offerentium nequit. In dubio, an in hujusmodi translationem illi consentiant, exquirendum est iudicium Ordinarii, ut mentem Offerentium interpretetur.

Ad 3. Certum est, quod hujusmodi Missae, quae alibi, & ab aliis dici possunt, committi valeant Sacerdotibus, qui gratis easdem legant; possunt enim isti renuntiare Juri suo, & Stipendium sibi debitum condonare illi, qui ipsi eas legendas commisit. An vero pro minori Stipendio, quam acceptum sit, tradi Missae aliis legendae possint, dubium solvit S. Congregatio Concilii in Declaratione supra allegata, ubi distinguit inter Sacerdotes, qui certas Missas dicere ex obligatione Beneficii sui tenentur, & inter eos, qui ad Missas dicendas se obligarunt ex Stipendio Manuali pro illis accepto. Prioribus S. Congregatio concedit, ut hujusmodi Missas pro justo Stipendio legendas tradere aliis possint, etiamsi istud ad rationem Redituum Beneficii minus sit, ut patet ex dictis *Num. 20.* De posterioribus statuit, ut integrum Stipendium, etiamsi illud majus sit ordinario, dent Sacerdoti, cui legendas sui loco committunt Missas, ut dictum est *Num. 21. & 22.* Proceditque hoc *juxta Num. 23.* etiam quoad Administratores Ecclesiarum, & aliorum locorum piorum. Estque haec obligatio *juxta dicta Num. 24.* gravis, ita, ut peccet graviter, qui partem Stipendii sibi retinet, etiamsi id, quod dat celebranti, adaequet quantitatem Stipendii taxati alias Lege, vel consuetudine, ut dictum est *Num. 25.* Excipit tamen S. Congregatio Casum, quo Ecclesia, in qua Missae dicendae sunt pro Stipendio, non habet Reditus alios, quos in usum expensarum pro illis licite erogare possit; tunc enim concedit portionem retineri, sed non excedentem expensarum valorem. Exceptio haec videtur tangere praesentem Casum; nam in hoc, consideratis circumstantiis, & novitate instauratae peregrinationis, ubi multa paranda, & in meliorem statum reducenda sunt, merito praesumi potest, quod offerentes Stipendia excessum istorum non dent solummodo intuitu Missae, sed maxime ad promovendam Peregrinationem, tanquam donum liberale B. V. oblatum. Impendi proinde excessus hic poterit in Ecclesiae Ministros alendos, ejus fabricam, & maxime pro vino, cereis, & paramentis Sacerdotalibus, quae ob numerositatem Missarum, quae quotidie leguntur, in majori quantitate consumuntur.

Ad 4. In praesenti Casu non esse necessariam licentiam Ordinarii, vel Summi Pontificis,

43.

44.

552  
 tificis, ut Missæ, de quibus hic quæritur, differantur in longius tempus; nam, ut dictum est *Num. 39. Suppos. 3.* Missæ pro Defunctis, & pro vivis, ex causa necessaria, & urgente Stipendium Offerentibus, dicuntur semper tempore congruo: adeoque ea, quæ restant dicendæ, & necessariò ob multitudinem Stipendia pro iis offerentium differuntur, sunt solum petite sub intentione communi, puta in honorem B. Virginis, aut in gratiarum actionem pro beneficiis ad invocationem illius acceptis. Item, ut dictum est *Suppos. 4.* petentibus illas non fit promissio, vel spes, quòd statim illæ legendæ sint, sed solum, quòd ritè ipsorum Nomina, & intentiones inscribendæ sint Libro, & juxta ordinem temporis, quo inscriptæ sunt, legendæ Missæ, quod ob copiam eas petentium sciunt, aut facile scire possunt fieri non posse, nisi post longius tempus. Quod si ergo, ut fit, nihilominus pro Missis aliis Stipendia offerunt, præsumuntur isti juxta dicta *Num. 11.* in dilationem hanc consentire: consequenter satisfi Declarationi S. Congregationis, quæ, ut vidimus *Num. 5.* solum prohibet, ne accipiantur Missarum Stipendia, pro quibus solum post longum tempus satisfieri potest, additâ expressâ conditione, *Nisi consentiant illi, qui Eleemosynas tribuunt.* Idem consensus juxta dicta *Num. 18.* præsumitur quoad translationem talium Missarum, quæ aliàs in loco gratioso legi non possent, nisi post longissimum tempus; quia Offerentes præsumuntur malle Missas à se petitas legi citò, quàm eas differri in tempus adeò longum, & sic diutius carere earundem fructu, præsertim, si istæ legantur in loco similiter gratioso: quod confirmatur ex notoria praxi similium gratiosorum locorum, quorum Administratores, non petita licentiâ Ordinarii, sine scrupulo Missas, quæ tempore legi nequeunt in tali loco, dimittunt aliis, legendas alibi. Unde in dubio solum, quo incertum est, an præsumi Offerentium consensus in hujusmodi translationem possit, exquirendum est judicium Ordinarii.

45. Ad 5. Responsio patet ex modo dictis, & *Num. 35.* quoad Missas, quæ ex offerentium Stipendia pro illis voluntate expressâ, aut rationabiliter præsumptâ legi alibi possunt. Aliud est de Missis, de quibus alibi legendis non potest præsumi consensus offerentium pro illis Stipendia; nam istæ juxta *Num. 17. & 36.* non possunt legi alibi, sed potius non esset pro illis acceptandum Stipendium, si intentioni illorum tempore congruo satisfieri nequeat, vel saltem multiplicandi Sacerdotes, qui eas legant in loco destinato, & tempore competente, vel denique petenda licentiâ Superioris eas aliò transferendi, quam juxta *Num. 37.* post acceptata in tanto numero Stipendia Ordinarius faciliùs dabit ad locum æquè celebrem, & sub invocatione ejusdem B. Virginis consecra-

tum. Ut verò Missæ istæ in loco alio minis celebri, & sub invocatione alterius Sancti constituto legi possint, cum locus, ab Offerentibus Stipendia electus, cadat sub obligationem, cui hoc modo non satisfaceret per æquipollens, videtur necessaria esse licentiâ Summi Pontificis: unde tunc recurrendum erit ad S. Congregationem Concilii, cujus hæc est materia propria. Spes autem obtinendi talem licentiâ proportionabitur causæ, ob quam translatio hujusmodi Missarum petitur; nam sine justa, & gravi causa neque Pontifex tollit alicui Jus ipsi quæsitus, quale Jus habet offerens Stipendium pro Missa, ut legatur in loco ab ipso designato. Faciliùs obtinebitur hæc licentiâ, si post accepta jam bona fide Stipendia, appareat omnimoda impossibilitas, ut tempore congruo in loco destinato, vel alio simili legantur tot Sacra. Literæ, quibus impertitur talis licentiâ, à Sacra Congregatione, præsertim si hoc petatur, diriguntur ad Oratorem, qui hujusmodi Dispensationem petit: unde non est periculum, ut hæc veniat in notitiam Peregrinantium, qui obtulerunt Stipendia.

Ad 6. Cum restantes in hoc Casu Missæ, ut ponitur, omnes sint petite sub intentione communi, non est opus pro harum dilatione ulla dispensatione, sed ex præsumpto eas pro Stipendio oblato petentium consensu sufficiet illas dici secundum ordinem temporis, quo petite sunt, modo earum perolutio non differatur in tempus longissimum; nam ad hanc dilationem non sufficeret consensus qualitercunque præsumptus, sed requireretur consensus Offerentium expressus, ut dictum est *Num. 11.*

Ad 7. Patet Responsio ex Solutione Quæstionis 5. ubi *Num. 35.* dixi, si Missæ, aliò dimissæ, tales sunt, ut ex voluntate Stipendia pro iis Offerentium expressâ, aut rationabiliter præsumptâ alibi legi possint, translationem earum fieri optimo jure posse, præsertim ad locum, ubi similis est devotio, & concursus populi ad eundem Sanctum; neque ad hoc necessariam esse licentiâ expressam Ordinarii. Tales autem sunt Missæ, de quibus hic agitur; nam, ut ponitur, solum illæ Missæ, ut alibi legantur, datae sunt, quæ petite sunt sub intentione communi, & aliàs diu nimis ob earum copiam debuissent differri. Igitur istæ ex Offerentium intentione præsumpta poterunt dimitti aliò, & in talem præcipue locum, qui pariter Peregrinationibus ad Thymaturgam B. Virginis Iconem celebris est.

Ad 8. Dico, posse hoc fieri, observatis Limitationibus *Num. 29. 30. & 31.* positis, scilicet 1. Ut super hoc requiratur consensus Ordinarii. 2. Ut nihilominus dicantur tot Missæ, pro quot Missis oblatum fuit Stipendium. 3. Ut tot Missæ legantur

tur quotidie ad offerentium intentionem, quot, considerato numero Sacerdotum, & circumstantiis, legi possent, si pecuniæ non fuissent expensæ pro tali fabrica. Deberet tamen, ut dicto Num. 29. notavi, tali Do-

mui, postquam constructa est, aliunde provideri de aliis Reditibus stabilibus, ex quibus ali competenter possint Sacerdotes ibi degentes, qui Missas restantes dicant.

CONSILIUM L.

In Causa Lucri adæquantis Summam Capitalem subministratam.

SUMMARIUM.

1. *Seqq. Facti Species.*
4. *Si Contractum lucrosum volumus valere omni meliore modo, non censendum est contrahi mutuum.*
5. *In dubio præsumptio illa capitur, ut excludatur peccatum.*
6. *Clausula omni meliori modo sanat omnes defectus.*
7. *Definitio Contractus Societatis.*
8. *Societas potest contrahi etiam tacito consensu.*
9. *Communicatio lucri pertinet ad substantiam,*

- Communicatio damni ad Naturalia Societatis.*
10. *Nisi aliter conventum sit, debet inter Socios servari aequalitas lucri proportionem geometricam.*
11. 12. *Licet renuntiare Societati, modo absit dolus, & id non fiat intempestive.*
13. 14. *Si Societas contracta sit ad certum tempus, ad Renuntiationem requiritur justa causa.*
15. *Ad tacitam Compensationem requiritur, ut debitum sit liquidum, & ut non excedatur quantitas debiti.*

FACTI SPECIES.



**W**illibrordus, Vir Ecclesiasticus, doctus in Jure, & Styli Curie Romanæ expertissimus, cogitat typis edere selectissimum quoddam Opus Canonicum. Agit ergo cum diversis diversorum locorum Bibliopoli, qui typi expensas in se recipent. Ad hos cum proficisceretur, in expensas itineris ei Theodorus, cum quo amicitiam contraxit, ob certa quædam secreta Medica ipsi ostensa, ita rogatus, suggerit 150. fl. mutuos. Quia verò Willibrordus cum nullo ex his Bibliopoli, cum quibus tractavit, in petita, quæ fecit, convenire potuit, tandem se resolvit ad Opus hoc suum excudendum suis sumptibus. Expensæ pro hoc in lucem edendo ascendent ad 3000. fl. Non habens autem tantum paratæ pecuniæ, pro subsidio sollicitat Theodorum, eidemque, si 1000. fl. ipsi subministraret, promittit, se restitutum illi Summam hanc Capitalem cum tribus aliis millibus vel ex impressis Exemplaribus, vel ex pretio inde redacto. Contentus autem fuit Theodorus solum 1000. fl. ultra Summam Capitalem subministratam.

2. Init ergo Theodorus cum Willibrordo Contractum, idque non antea, quam tum ab ipso Willibrordo, quam ab aliis doctis certificatus esset de valore, & licentia Contractus. In hoc Contractu Theodorus Willibrordo spondet, se subministraturum ipsi intra decem Menses successive flo-

R. P. Schmalzgrueber Consil. Tom. I.

renos mille; vicissim autem Willibrordus eidem se obligat ad 1000. fl. istos ipsi restituendos brevi post absolutam impressionem Libri cum aliis mille ex divenditis ejusdem Libri exemplaribus. Super hoc Contractu conscriptum fuit Instrumentum, utriusque contrahentis manu, & sigillo munitum, idque duplex ejusdem omnino tenoris, & sensus, quorum unum Willibrordus, alterum Theodorus penes se retinet. In hoc ambo omni meliori modo, & forma ad standum Contractu isto se obligant.

3. Stetit promissione sua Theodorus, & tempestive Willibrordo submitit, prout conventum erat, successive Summam conventam. Nunc verò difficultatem Theodoro facit Willibrordus circa alteros 1000. fl. & hunc Contractum accusat tanquam Usurarium: proinde solummodo offert Theodoro Summam Capitalem cum Censibus in Imperio Romano permissis, nempe quinque pro centum; florenos verò centum quinquaginta, mutuo acceptos, vult retinere in Compensationem pro ostensis arcanis Medicis, quæ tamen ab eo se didicisse negat Theodorus, & hoc probat ex Literis ipsius Willibrordi.

QUÆRITUR I.

*Qualis sit iste Contractus, inter Willibrordum, & Theodorum initus?*

4. **N**on esse Contractum Mutui, sed Societatis, consequenter omni labe Usuraria illum carere, ostenditur 1. Quia Contractum

Resolvitur Quæstio.